

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 85

Notum nostris successoribus fiat, Teodericum de castro Vindocino filium Hugonis de villa Mereni, vendidisse Hilduino Sancti Martini monacho XIIcim arpenna terre iuxta terram Moncelli consistentes, quam Rainaldus de Dalmeriaco contulit iam dicto sancto. Cuius venditionis census, qui duodecim est denariorum, festivitate sancti Iohannis, IV Kal. septembris, foro videlicet Blesis, instituitur reddendus. Si vero per oblivionem vel per neglectum ministralis eiusdem sancti terminus prefati census preterierit reddendi, salva venditione legaliter emendetur. Nomina autem testium qui venditionem hanc fieri videntes et audientes affuerunt, subter notata sunt. Rotbertus maior – Ingelbaldus – Junanus – Hubaldus maior – Giroardus: isti sunt villani Sancti Martini.